



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Francisci Montmorencii E Societate Iesv Cantica Et Idyllia  
Sacra**

**Montmorency, François de**

**Antverpiae, 1638**

Nuptiæ Ruth.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69423)

N V P T I Æ R V T H  
IDYLLION.

A R G V M E N T V M.

Deducitur sponsa R V T H Moabitidis ad domum B O S I, mariti futuri, à decem virginibus Ephrateis sponsam more prisco comitantibus. Non dissimilem parabolam habes Matth. 25. cap. vbi decem Virgines noctu cum lampadibus exierunt obviam Sponso & Sponsæ; & apertâ ianuâ, quæ paratæ erant, introierunt ad nuptias.

**E**xtulerat celo incundos Hesperus ignes  
Qui de sponsa suo connubia perficit ortus;  
Cum simul innuptæ, Bethles è flore,  
puellæ

Conuenere decem: Tyrio par omnibus ostro  
Cultus, & in flauis hyacinthina ferta capillis:  
Leua manus festâ spargebat compita fronde,  
Altera sublato quatiebat pollice tedas.  
Hoc ibat comitum genialis pompa paratu,  
Ad nitidas Bosi dum sponsam duceret ades:  
Interea tenerum, quo prospera fata precetur,  
Coniugibus carmen sic est exorsa futuris:

Quæ bona Sors huc ex Arabum te pauper  
campo

Elimela peregrina nurus concedere iussu?

Fortis

Fortunata nimis! quam præ popularibus unam  
 Mille suis locuples Salmonis filius ambit;  
 Quam facit Hebraidem non sanguis, at inclyta  
 virtus.

Sicut adoptivam viridaria pinguis myrtum  
 Accipiunt, à littoreis qua transit arenis  
 Divitis in domini rorantes fontibus hortos;  
 Aut velut areolis infertur rasile buxum,  
 Quod super inculti stetit antè cacumina montis:  
 Sic merito iam nostra tuo censebere civis.

Non animi dotes, sed nec tibi corporis absunt;  
 Forma bona est, tamen haud sequitur lascivia  
 formam.

Testis Ephrata tuum deprædicat usque pu-  
 dorem,

Et sublime vehit niveos ad sidera mores.

Quæ tua sit qualisque modestia, vidimus ipsa,  
 Dum legeres spicas alieno nuper in arvo,  
 Pauca loquens, oculos in humum deiecta ni-  
 tentes.

Fortè superueniens Herus ut te vidit, amavit.

Ergo tui fient tabulis dotalibus agri,

Ergo tibi cedent tam pinguis culta, legebas

In quibus exilem nobiscum pauper aristam?

Scilicet Isacidum Deus hæc tibi commoda fecit.

Bosè novas incide faces, suspende corollas

Postibus: ecce Deo tibi ducitur auspice coniux.

Talis ab extremo veniens Euphrate Rebecca

Isacios fausto tetigit pede sponsa penates:

Sic

Sic Lia, sic formosa Lia germana, Jacobi  
 Fundauere domum numerosâ prole. nec illis  
 Inferior dabit hæc hilari matrona marito  
 Pignora pulchra, suam referent si pignus  
 matrem.

Lanificas age linque colos & pensa Noëmi,  
 Jam noua proueniet tibi cura. Senilibus annis  
 Disce manu cunas rosei versare nepotis:  
 Namque nepos decimo nascetur mense, receptus  
 Qui genibus dilata diu tibi gaudia portet,  
 Incipiens auiam molli cognoscere risu:  
 Ipsa crepundiolis dulcem mulcebis alumnus,  
 Donec in optatos componat lumina somnos.

Talia solemni canerent dum more puella,  
 Vestibuli patuere fores; introque recepta,  
 Festinas thalamum circa duxere choreas.

